

OVATIONES

JOHN ANDERSON

Hodie honoramus virum eruditum et ingeniosum qui propter indolem et constantiam de nostra sodalitate nobisque sodalibus bene meritus est.

Titulis et gradibus, baccalaurei artium apud Universitatem Princetoniensem, magistri artium apud Universitatem Harvardiensem, adomatus est. Docendi peritus, a dignis praeceptoribus scholae per patriam nostram laudatae. Academiae Collis acceptus est, ubi tres et quadraginta annos studiosissime suis officiis functus est. Mandata est ei Cura litterarum humaniorum, qua ex cathedra patrimonium antiquum omnibus doctis reverendum exposuit. Permulti discipuli eius de diligentia quam sibi assidue praebere solebat semper praedicaverunt.

Praeses vicarius nostrae Classicae Societatis Atlanticarum Civitatum factus est. Cum collega scripsit libellum doctum et immo laboriosum, quo magnus praeceptorum numerus ad linguam Latinam docendam etiam nunc utitur. Septem annos benignissime legit scripta discipularum discipulorumque studentium ut apud universitates ordinem superiorem linguae Latinae adsumerent. Multis in Consiliis autem apud Academiae Collis ille semper praebens discipulis, collegis, amicis eruditionem, eloquentiam, elegantiam nixus est. Quod auxilium societal nostrae dedit—etiam creans velut sub specie antiqui nummi Romani signum ipsius societatis—in memoria omnium tenetur.

Talis magistri vero desiderium erit, sed inter opera ab se incepta vivat, maneat, valeat exemplum in artibus humanioribus illustre. Plaudamus igitur John A. Anderson.

MARGARET CURRAN

Hodie celebramus feminam quae indefatigissime laboravit ut studium linguae Latinae floreret in regione Senecae novi, illustri propagandis iuribus feminarum. Adepta gradum Baccalaureae Artium in studiis classicis apud Universitatem Civitatis Novi Eboraci, in urbe, nomine bovis, propinqua gurgitibus maximus fabulosisque, incepit suum cursum docendi in Academia Montis Misericordiae. Tum fiebat magistra in schola suburbana, fulta publicis vectigalibus, appellata verbis poeticis Pomarii Horti, et permansit in hoc loco ad hunc punctum temporis.

Dua spatia temporis servavit, ut praeses, Societatem Classicam Civitatis Novi Eboraci in Hesperiiis finibus, et praerat exhibendis copiis rerum in annuo concursu Societatis Classicae Civitatis-Imperii. Constituit quae discipuli discipulaeque deberent cognoscere ut demonstrarent Regentibus suae Civitatis peritiam linguae Latinae, et quoque strenue versabatur in sodalitate praeceptorum variarum linguarum huius Civitatis.

Operam dedit non solum curis collegarum suorum, sed etiam saluti discipulorum disciplinarumque. In Pomarii Horto exegit monumentum perenne, aedificium discendae linguae Latinae quod continet eos incipientes studia eorum usque ad eos petentes ut studeant in ordine superiore apud universitates. Omnes loquuntur de hac magistra summa cum laude. Fruitur affabilitate praestantissima cum omnibus quos et cum quibus et causa quorum ea docet.

Plaudamus igitur Margaret Curran.

*Villanova University
University of Maryland, College Park
CW 91.6 (1998)*

HENRY BENDER
JUDITH P. HALLETT